TITULORUM SALUATORIS ET VERI EMANUELIS NOSTRI DOMINI IESU CHRISTI, EX NONO CAPITE...

Peter Listmann

Digitized by Google

NOBILITATE GENERIS, PIETATE, SAPIENTIA ET VIRTVTE

conſpicuis viris, Domino Caſparo Flans Capitaneo, & Dominis Coſs. & Senatoribus Reipublicæ Furſtenuualdianæ, Dominis & patronis ſuis reuerenter colendis.

XEnia Dardanios noua diſtribuiſſe Calendis
Ianuarij, ſuis liquet cariſsimis:
Quod quoq; ſeruarunt plæræq; ex ordine gentes,
Alumnus ut Sulmonis in faſtis refert.
Hæc ſiquidem gratæ ſunt ſignificatio mentis,
Auſpicium & anni proſperum noui ferunt.
Hunc modo cunctipotens radiantis Rector olympi
Morem ſuo approbauit exemplo Deus.
Cum daret ingrato dulciſsima Xenia mundo,
Non dare ſuis vt liberis matres ſolent.
Poma, nuces, lepida panes promulſide piſtos,
Equites, equos, auro nitentes gemmulas.
Sed proprium ſancto conceptum flamine natum,
Quem pura peperit neſciens virgo virum.

Dulcia

Dulcia qui ſummo pro nobis λύτρα parenti
Perſoluit, & peccata mundi ſuſtulit.
Vera ſalus nobis cuius reparata cruore eſt,
Patriæq; cœleſtis fores clauſæ patent.
Illius ergo memor moris noua Xenia veſtræ
Mitto, Viri clariſsimi, prudentiæ.
Erga vos noſtrum quò teſtificentur amorem,
Grataq; certum mentis vt ſint ſymbolum.
Dent alij ſtrenas gemmis auroq; decoras,
Dent annulos, ſcyphoſq; cælatiſsimos.
Nos ſacra delectant diuini oracula vatis,
NOBIS recens nato Dei de filio.
Qui retulit nobis æternæ gaudia vitæ,
Suos & in periculis ſummis iuuat.
Cuius & illuſtres titulos iam carmine pando,
Regniq; tollo laudibus potentiam.
Ipſe ſit ergo loco ſtrenæ, nil munere maius
Dari hoc poteſt, hunc mitto vobis omnibus,
Illumq; & votis ſupplex ardentibus oro,
Flamine ſuo vos vt regat ſanctiſsimo,
Veſtra ſit vt ſalua, & felici ſidere curſum
Reſpublica peragat, annus & ſit candidus.
Deniq; per Chriſtum patriæ πολίτευμα futuræ
Vitæq; vobis detur æterna ſalus.

Petrus Liſtmanus M.

TITVLORVM SALVATORIS ET VNICI EMANVELIS NOSTRI DOMINI IESV Chriſti, ex nono capite Eſaiæ Prophetæ breuis declaratio.

SPinoſas timido ſoluamus pectore curas,
Lugubris abſit nænia,
Tabificusq́; dolor.
Quin potius Chriſti celebramus carmine laudes,
Eiq́; grates credulo
Pſallimus ore pias.
Arcitenentis enim peragrato ſidere Phœbus
Ingreditur ut iam fœtidi
Frigida ſigna capri.
Pegaſus & curſu radioſus præpete ſurgit,
Vagoq́; ſolis incipit
Lumine mane tegi.
Annua nunc iterum natalis tempora Chriſti
Redeunt, ſuo qui ſolus eſt
Victima grata patri.
Soluit enim roſea noſtrum vibice reatum,
Lauitq́; noſtra ſanguine
Crimina ſæua ſuo.

Ergo

Ergo pares animis & læto pectore cuncti
Canamus inuictiſſimi
Facta ſtupenda Dei.
Ecce puer nobis eſt natus, filius eſtq;
Nobis datus, *ſit gloria*
Lauſq; decuſq; Deo.
Qui propria ſua ſceptra gerens in carne triumphat,
Et principatum humeris grauem
Suſtinet ipſe ſuis.
Non onera imponit, non pœnas atq; cruentas
Exactiones ſubditis,
Vulgus vt omne ducum.
Sed potius triſti curarum mole grauatos;
Feſſoſq; dextra ſubleuat,
Lætitiaq; beat.
Illis & vitam tribuit flamenq; ſacratum;
Et donat innocentiam,
Iuſtitiamq; ſuam.
Hoc duce peccatum, nec non maledictio legis
Triſtis ſeueræ tollitur,
Ceſſat & ira patris.
Ergo humeris geſtat peperit quem ſanguine cœtum,
Eumq; ceu paſtor gregem
Paſcit & vſq; fouet.

 O dul-

O dulcem, ſuauem, clementem deniq; Regem,
Erga ſuos quem ſubditos
Tam pius vrit amor.
Quis modo feſtiuo non tollat iubila plauſu,
Chriſtiq; læto floridum
Perſonet ore decus?
Quis niſi cui fuerit ſtolidum ſine pectore corpus
Non geſtiat, clementiam
Concelebretq; Dei?
Ecce puer nobis eſt natus, filius eſtq;
Nobis datus, *celebritas*
Hunc decet alta Ducem.
PELE. *Admirabilis.* *Huic admirandum nomen Deus indidit, vnde*
Miratur omne ſpiritum
Quod vel in orbe trahit.
Mirantur ſuperi, ſimul Angeliciq; miniſtri
Deiq; læto ſplendida
Gutture facta canunt.
Namq; patris ſummi ſuprema potentia natus,
Verus Deus vero Deo
De patre progenitus.
Qui ſine principio viuit, qui cuncta creauit
Cœleſtia & terreſtria,
Qui quoq; fine caret.

Huma-

Humanam pura de virgine ſumere carnem
Dignatus eſt, & naſcitur
Inuiolatus homo.
Noxiaq́ vt tollat ſcelerati crimina mundi
Vltrò cruentam ſuſtinet
Mitis vt agna necem.
Mortuus abſorbet mortem, Plutonia regna
A morte ſurgens deſtruit,
Et petit aſtra poli.
Nec miranda minus ſunt, quæ puer iſte tenellus
In paruulo cœtu ſuo
Hic & vbiq; gerit.
Quos etenim ſeruare cupit quos tollere ſurſum
Decreuit, hos ad inferos
Præcipitare ſolet.
Sauciat, occidit, terret, proſternit ad imum,
Poſt releuat, erigit, adiuuat,
Glorificatq́ ſuos.
Idq́ (quod & mirum) res infirmiſsima præſtat
Humana nempe vox ſonans
Nuncia læta Dei.
Scilicet ipſa ferunt vitam, monſtrantq́ ſalutem
Credentibus, potentia
Sunt quia magna Dei.

Quis

Quis non ſubmerſos vitijs ſcelerumq́ barathro,
Miretur à iuſto Deo
Non penitus reijci?
Sed potius recipi gratis, & viuere ſola
(Sine legis operibus) fide,
Iuſtitiaq́ frui?
Corpora ſub triſti quis non putrefacta ſepulchro
Miretur iterum ſurgere,
Computruere licet?
Quam mirabiliter puer hic quoq́ ſeruat alitq́
Eccleſiam ſuam ſine
Præſidijs hominum?
Hæc animo reputans quis non ſtupeſiat, & iſtam
Potentiam præconijs
Tollat ad aſtra pijs?
Ecce puer nobis eſt natus, filius eſtq́
Nobis datus, *nil maius hoc*
Orbis & æther habent.

IOETZ. Cõſiliarius. *Conſilio pollet, lucet ſapientia in illo,*
Adeſt ſuis fideliter,
Suppetiasq́ venit.
Quamuis horriſonis Eccleſia ſancta procellis
Quaſſatur, & periculis
Opprimitur varijs.

Non

Non tamen occumbit, quia conſiliarius illi
Puer hic adeſt, qui ſedulò
Curat amatq́ ſuos.
In ſummis nobis eſt proximus ille periclis,
Promiſsionis nec ſuæ
Non memor eſſe poteſt.
Hic iuuat Iſaciden vario diſcrimine rerum
Circumdatum, fratriſq́ cum
Seruat ab inſidijs.
Hic monet in ſomnis meditantem dira Labanum
Suæ ſororis filio
Ne nocuiſſe velit.
Hic rubriq́ maris penetrantem flumina Moſen
Comitatur, & dat utile
Conſilium populo.
Quem quoq́ deſerti latebroſa per auia ducit,
Pluitq́ Manna cœlitus,
Et petra fundit aquas.
Ioſaphat in medijs hunc inuocat hoſtibus vnum,
Et liberatur ilicò,
Hoſte cadente truci.
Si te igitur dubijs agitat fortuna procellis,
Hunc quære conſiliarium,
Conſiliumq́ dabit.

Hunc petat exorto quiſquis gemebunda tumultu
Pectora gerit nec quempiam
Qui iuuet eſſe videt.
Quiſquis & horrendæ terretur imagine mortis,
Hunc inuocet & aptiſsimum
Sentiet auxilium.
Ecce puer nobis eſt natus, filius eſtq;
Nobis datus, *cui ſubditur*
Quicquid vbiq; viget.
E L. Robur. *Paruulus hic etenim verè eſt* θεὸσ ἰσχυρὸς *infans*
Sceptro ſuo qui ferreo
Vincere quæq; poteſt.
Robora conſilijs inuicta ſalubribus addit,
Vireſq; præualidas ſolet
Suppeditare pijs.
Vt ſumus infirmi, infirmos corroborat, imò
Infirmiores quò ſumus,
Hoc magis ipſe valet.
Scilicet in fragili Domini magis inclita virtus,
Infirmitate prominet,
Perficiturq; ſimul.
Promiſsiq; tenax puer eſt, vereq; fidelis,
Vltra ſuas vires pios
Non ſinit ipſe premi.

Ecce

Ecce puer nobis eſt natus, filius eſtq;
Nobis datus. *quem laudibus*
Tollimus hymniſonis.
Magnanimi Herois titulum fortiſq; gigantis *GIBBOR. Heros.*
Geſtat, ſubitq; nomine
Munia digna ſuo.
Extendit ſiquidem late ſua ſceptra per orbem
Coëgit & populos ſuo
Subdere colla iugo.
Irrequieta gerit pro charo prælia cœtu,
Zabulum & eius organa
Perfida ſternit humi.
Hoc duce ter denos deuicit Ioſua Reges,
Hoc duce retrò volubilis
Iordanis vnda ſtetit.
Indomituſq; rubris Pharao ſubmergitur vndis,
Populo Dei ſubitam necem,
Interitumq; parans.
Hoc duce fœmineis Holofernes concidit armis.
Hunc Iulianus vindicem
Sentit adeſſe grauem.
Hoc duce per medios victores ibimus hoſtes,
Aduerſitas credentibus
Hoc duce nulla nocet.

Quin etiam veteris vires ſubigemus Echidnæ
Omniſq́ res erit in vado,
Si modo Chriſtus adeſt.
Hic igitur iure Herois ſibi nomina fortis
Vſurpat, vt qui pro ſuis
Prælia tanta gerit.
Ecce puer nobis eſt natus, filius eſtq́
Nobis datus *qui ſedulo*
Saucia corda fouet.

ABIAL. *Pater æternitatis.*

Hic patris æterni præconia iure meretur,
Quoniam patris pijſsimi
Fungitur officio.
Innumeros ſacro vitalis ſemine verbi
Sibi gignit ipſe liberos,
Quos patris inſtar amat.
Quos patris inſtar amat, defendit, curat, alitq́
Et omnia benigniſsima
Dat tribuitq́ manu.
Terrenis στοργὰς *patribus quoq́ ineſſe videmus,*
Qui delicatè diligunt
Pignora chara tori.
Sæpe ſed his deſunt vires, dandiq́ facultas,
Sæpe & parentum liberi
Deſtituuntur ope.

Si

Si tamen interdum ſoboli prodeſſe tenellæ
Poſſunt parentes optimi,
Et dare dona ſuis.
Munera ſunt leuia, & fallacia, ſuntq́ caduca,
Natos nec in miſerabili
Mortis agone iuuant.
Huius at auxilium patris per ſecula durat,
Clemens nec unquam deſinit
Hic puer eſſe pater
Namq́ procelloſo quaſſatos turbine rerum
Quam peſſimarum liberat,
Seruat, onuſq́ leuat.
Et licet indomita conſumpti morte iacebunt,
In puluaremq́ corpora
Sunt reſoluta leuem.
Per patrem tamen hunc tandem renouata reſurgent,
Et poſſidebunt gaudia
Cum patre vera ſuo.
Scilicet æternus pater eſt æternaq́ natis
Dare dona vult, vult & poteſt,
Nil dubitare licet.
Hinc velut ex placido viridantia flumina riuo
Dulcia fluunt ſolatia,
Quæ meminiſſe decet.

Nam quemcunq; dolor grauis anxietaſq; fatigat,
Quem morbus vrget, aut fames,
Curaue rodit edax.
Deniq; luctificæ quem tangunt ſpicula mortis,
Hic habere ſe patrem ſciat,
Qui propè ſemper adeſt.
Qui propè ſemper adeſt, nec in ipſa morte miſellos
Suo redemptos ſanguine
Deſeruiſſe poteſt.
Mors Chriſti noſtræ mors eſt dulciſsima mortis,
Mors illius vita eſt mea,
Cur trepidare velim?
Ceu fouet exanimes pelecanus ſanguine pullos,
Pectuſq; roſtro ſauciat,
Prolis amore ſuæ.
Sic quoq; lagifluo proſtratos vulnere mortis,
Chriſtus cruore recreat,
Viuificatq; ſuo.
Ecce puer nobis eſt natus, filius eſtq;
Nobis datus. *ſit optimo*
SAR SCHA-LOM. Princeps pacis.
Gloria lauſq; Deo.
Dulcia qui veræ pparauit fœdera pacis,
Paciſq; princeps dicitur,
Hanc quia ſemper amat.

Hic

Hic ſolus patrem iuſtâ retraxit ab ira,
Seſeq; λύτρον obtulit,
Ne moreretur homo,
Qui phlegetontæas iam præcipitandus ad vndas
Proh mortis æternæ nigro
Carcere dignus erat.
Ergo fide iuſtis alacri pax aurea vultu
Nitet, & amat per filium
Nos pater ipſe ſuum.
Quem per & intrepidus nobis acceſſus ad ipſum
Patrem patet, & ad gratiam,
Quæ modo clara micat.
Tum quoq; bella cadunt, & pernicioſa furentis
Belli parens diſcordia
Cogitur eſſe procul.
Sæuus in hoc regno rigidos conflabitur enſis
In vomeres, & lancea
Falx erit herbiſeca.
Sceptra igitur Chriſti blanda reſonantia pace
Qui diligunt, & ſubditi
Illius eſſe volunt,
Eumenidas fugiant, rabioſas ſpargere lites
Belliq; caueant ſemina,
Factitioſq; dolos.

Sint

Sint magis vnanimes, ſuauis concordia mentes
Nutriat, & almæ dulcia
Vincula pacis ament.

At tu Chriſte graues hominum miſerate labores,
Eccleſiæ quæſo tuæ
Ferto ſalutis opem.
Nos humeris geſtes, nobis mirabilis eſto,
Iactis graui diſcrimine
Conſiliumq́ dato.
Sis robur noſtrum, ſisq́ inuictiſsimus Heros,
Horrenda fortiq́ hoſtium
Agmina ſterne manu.
Sis pater æternus, tranquillæ fœdera pacis
Serues, datoq́ ſeruulis
Gaudia uera tuis.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE